



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Consultationes Theologicæ Et Spirituales Christiani verè fidelis & verè devoti ...

... De Excellentissimis Jesu Christi Dei-Hominis

Louis François <d'Argentan>

Augustæ Vindel. ; Dilingæ, 1723

VD18 80217931

Consultatio XXVII. Executio Consiliorum æternorum Dei in Passione Jesu
Christi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45509

CONSULTATIO XXVII.

*Executio Consiliorum æternorum DEI in Passione
Jesu Christi.*

Collocaverat secundum facellum supra fastigium alicujus rupis admodum sublimis, omni ex parte circumdata horrendis adeo præcipitiis, ut aspicientibus nobis incuterent terrorem; quò nonnisi unica parvula, tamque arcta deducebat femita, ut vix gressum quis figere posset unicum absque periculo. Ipse, cui usitatum erat ambulare hanc viam, antecedebat nos audacter & gressu satis firmo; sed nos nonnisi trementes insequeremur ipsum, alibi nos esse exoptantes.

Assumendæ sunt cogitationes æternitatis ad contemplandam Passionem JEsu Christi,

Sed augebatur timor noster, quando facello vicini exaratum vidimus magnis characteribus supra portam: *Ostium æternitatis*. Quò deducis nos, mi Pater, interrogavit ipsum *Ecclesiasticus*? Fratres mei, deduco vos in æternitatem; oblivioni hinc dandæ sunt omnes cogitationes de terra, de tempore, & omnibus rebus mundanis. Cogitate ergò, hodiernâ die intrare vos æternitatem vestram, quam cum intraveritis, videbitis res aliâ prorsus ratione, quàm videantur in vita

præsenti. Et hoc dicens, subito aperuit nobis portam, & primus intrans prostravit se facie in terram, sicque aliquandiu mansit in silentio; & nos quoque exemplo ipsius, torique attoniti pavore tamdiu hoc oris corporisque habitu permansimus, quamdiu & ipse.

Exin surgens, seque convertens ad nos, quin diceret nobis verbum, nisi oculis suis, qui magnam effundebant lacrymarum copiam, & manu suâ, quam in omnem vertebat partem, monstrabat nobis, quæ depicta erant in circuitu facelli. Erant hæc Pictura myste-
riosa effectu-
um Passionis
JEsu Christi, omnia judicia Dei pronuntiata in Angelos, in homines, & in proprium Filium Dei. In medio ipsius videre erat tres Cruces, & tres Crucifixos; JEsu Christum in medio, & duos latrones ex utraque parte. Inter Crucem JEsu Christi, & illam mali latronis aspicietur hiatus in rupe, duobus vel tribus pedibus latus, sed ita profundus, ut fundum ipsius aspiceret haud licuerit; & omninò in facelli fastigio erat structura quædam, juxta opticae leges

leges repræsentans cælum innumeris refulgens luminibus, in qua sese terminabat aspectus acies ad parvulum quoddam foramen, datâ operâ ab ipso relictum in medio, quod paulisper & ex transcurfu aspicere linebat cælum & astra; sed quando sol per foramen hoc suos immittebat radios, nostros obtundebat oculos, nosque cogebat demittere illos in terram.

Aliquandiu consideratis his omnibus in silentio, sentiebamus quidem animos nostros permagnis repletos idæis & imaginibus, sed adhuc nimium confusis ad hoc, ut satisfacerent nobis. Ipse credens, quod solus intuitus nobis sufficeret, ad nos instruendos, nec verbum dicebat nobis; & nos videntes ipsum profundâ quâdam contemplatione absorptum, vix ausi fuimus interpellare ipsum, aut obsecrare, ut loqueretur nobis. Nihilominus maximum, quo ardebamus, desiderium participandi paulu-

lum ex ipsius tum luminibus, tum bonis affectibus, impulit nos, ut peteremus ab ipso omnium harum rerum explanationem.

Ad quod ab initio non respondit nobis nisi per magnas exclamations: O peccatum, quàm es execrandum! quàm abominandum appares coram oculis Dei! ô judicia Dei, quàm estis terribilia! ah! quàm estis inexorabilia! ô æternitates! ô æternitates! ô magnæ æternitates, quàm estis profundæ! ô quàm estis incomprehensibiles! & post hæc tacuit, & copiosissimè lacrymans perrexit. Sed hæc omnia non agebant aliud, nisi quod summum nostrum auerent desiderium, quo ardebamus, ut explanaret nobis latiùs, quod latebat apud ipsum intus. Hinc instanter obsecrabamus ipsum per Passionem Jesu Christi, ut nostris circa hoc responderet votis; & ecce quid & quomodò fuerit locutus nobis.

ARGUMENTUM.

Terribilis rigor justitiæ Dei erga Jesum Christum, ob peccata, quæ non commisit.

ARTICULUS I.

AN non intuemini fratres mei infinitum odium, quo Deus prosequitur peccatum in formidabili, quod pronuntiavit, judi-

cio, quodque sævissimè mandari fecit executioni in Persona proprii Filii sui. Quis unquam cogitasset, quod proprius Filius Dei tra-

tractari hâc ratione potuisset per voluntatem, per decretum æternum, per sententiam ipsam proprii Patris sui? infinitâ ratione is ipsum amat, de hoc dubitare non licet. Ah! quomodò resolvere se quisquam potest ad auferendum tam ingens malum illi, quem tam perfecto amat amore? Ipse est innocentia ipsa, & sanctitas per essentiam. Ubi est justitia, dum castigatur tanta cum severitate ille, qui esse non potest reus imperfectionis minimæ? Ipse est Majestas infinita. An ita accipiatur Monarcha supremus Monarcharum omnium? tandem, ipse est Deus vivens, qui totum hoc universum verbo produxit unico; & intueri Deum omnipotentem accusatum velut reum, condemnatum velut facinorosum, supremo supplicio affectum velut convictum plurimorum scelerum, oneratum opprobriis, dilaniatum virgis, coopertum sputis, totum perforatum plagis, confixum in Cruce duos inter insignes latrones, & mortem subire infamium. Univerſus orbis ex eo percussus terrore, astra cœli suum amittunt lumen, scinduntur petreæ, contremiscit terra, & infernus totus hæret attonitus, trepidat pavefactus.

Quis vibrare potuit in Personam proprii Filii Dei terribile hoc fulmen, quod cadere non

potuit unquam in mentem ullius vel hominis, vel Angeli? Ecce, quod magis stupendum est, quodque luculenter declarat inexplicabile odium, quo Deus fertur in peccatum. Non est, quod unquam commiserit peccatum vel minimum, hoc enim est impossibile: *qui peccatum non fecit*; sed solummodò, quia refert speciem peccatoris. Ita, ob peccata, quæ non commisit, sed quibus duntaxat onerare se voluit ex mera bonitate, & maxima charitatis suæ abundantia! Ah! quid mali fecit in hoc, quod hâc ratione puniri mereatur? haud refert, quandoquidem obiectus est pelle peccatoris, accipietur ut peccator; experietur pro peccatoribus omnem magnitudinem infiniti odii, quo prosequor peccatum, dicit Deus; & citra hoc, quod respiciam infinitum, quo ipsum velut Filium meum unigenitum prosequor, amorem, ut propriis suis oculis mortales videant omnes magnitudinem odii, quo in peccatum feror, in æternum verum erit, quod Deus omnipotens fuerit percussus, prostratus, destructus, & veluti annihilatus à justitia magni Dei vivi, eòquod portaverit solum speciem peccati, imaginem peccatoris.

Attende tibi, peccator, pondera pensulatè, & judica tecum ipse, quid expectandum tibi sit; tibi,

Res horrenda, quod Filius Dei judicatus & condemnatus sit.

I. Petr. 2.

Sola peccatoris species sufficiebat ad hoc, ut condemnaretur Filius Dei,

Consideratio
seria omni
peccatori fa-
cienda.

tibi, qui non solum geris speciem peccati, sed circumfers id verè in anima tua; tibi, qui non es proprius Filius Dei, sed magnus Dei inimicus; tibi, qui non es Majestas infinita, sed despicabilis vermiculus terræ, vel monstrum potius redditum abominabile ob enormitatem criminum tuorum. Cogita tecum ipse, an sperare possis immunitatem à severissima justitia Dei, circumferens characterem veri peccatoris, cum immunem non reliquerit verum Filium Dei, circumferentem duntaxat illius speciem. Sed tenta benè vires tuas, & considera, an portare benè poteris totum infiniti odii pondus, quo Deus prosequitur peccatum; & memineris, magis verum non esse, quòd Deus sit Deus, quàm verum sit, quòd portaturus sis illud in omnem æternitatem, si reus inveniaris unius solummodò peccati mortalis, quando ipsius sistèris iudicio.

Imago Jesu
Christi in Cru-
ce ubique ex-
posita, sicut
exponuntur
facinorosi vita
muletati ad
vias regias.

Ecce, fratres mei, dicebat nos Spiridion, magno cum spiritùs fervore, ecce veritatem æternam, quæ absorbet omnem intellectum penitus rimari se adnitentem. Non opus foret tot discursibus & argumentis ad convertendum omnes, & maximos quosvis peccatores in mundo; abundè sat foret attentè & cum mora intueri Crucifixum. Justitia humana exponit facinorosos

viis regis, magisque à populo frequentatis, postquam supremo affecit illos supplicio, ut omnes per hoc adhortetur, nil ejusmodi committere criminis, aliàs consimili accipièmini ratione.

Et justitia divina, postquam cruentem & capitalem hanc exercuit & perfecit animadversionem in Persona proprii Filii Dei, vult imaginem ipsius expositam esse ubique in editioribus Ecclesiarum locis, ut incessanter admoneat cunctos mortales: ecce vobis odium, quo Deus fertur in peccatum, quæve ratione illius solummodò castigàrit apparentiam in Persona proprii Filii sui; si committitis illud, cogitate, quâ ratione sitis excipiendi.

Sanctus Bonaventura, qui accuratè admodum ponderat omnes circumstantias Passionis Jesu Christi, ad demonstrandum nobis ex illis ingens odium, quo Deus fertur in peccatum, specialiter considerat ignominiam loci, in quo passus est: *Ex loci vilitate.*

Erexit Deus quasi tria theatra, supra quæ exequi voluit decretum ignominie, æternum vindictæ, quam sumere voluit de peccato in Persona Filii sui unigeniti, qui ex infinitæ abundantia charitatis, nostras subire voluit vices, ut illam reciperet pro nobis. Primum theatrum erat Jerusalem, secundum erat mons Calvaria, tertium erat Crux ipsa.

Yyyyy

Jeru-

Jesus Christus
passus est Je-
rosolymæ,
quæ celebris
est ob tres
causas,

Jerusalem fuerat magna ad-
modum civitas, quæ tunc tem-
poris ratione quâdam haberi po-
terat nobilissima totius orbis,
præcipuè tres ob causas. Prima,
quòd ipsa fuerit caput & Metro-
polis totius Nationis Judaicæ; &
quia hic populus semper fuit à
Deo dilectus, & ipsius commif-
sus singulariter providentiæ, pro
quo totum universum repleve-
rat prodigiis, quæ ipsius omni-
potentia sine intermissione ope-
rabatur in favorem illorum;
omnes alii populi in mundo re-
spiciebant illam cum timore &
reverentia; sicque Metropolis il-
lorum evasit celebris in univer-
so orbe.

Secunda causa, quâ reddebatur
illustis, erat famosum illud Sa-
lomonis templum, quod annu-
merabatur ubivis maximis mun-
di prodigiis; & sanè descriptio,
quam Joseph nobis de hac reli-
quit, stupenda est: siquidem af-
firmat, constructum id fuisse è la-
pidibus candidis, tantæque quan-
tæ est marmor, soliditatis, haben-
tibus singulis viginti cubitos in
longitudine, in altitudine octo,
& in latitudine duodecim, quæ
magnitudinem tam prodigio-
sam efficiunt, ut omnes exin-
dè raperentur in admirationem:
hinc Apostoli admonebant ali-
quando divinum suum Magi-
strum, ut aspiceret & observaret
illos, velut ingens quoddam pro-

digium: *Aspice quales lapides.*
Joseph adjungit, quamlibet
porticum complexam fuisse
quadraginta columnas tantæ
crassitudinis, ut tres homines vix
unam illarum complexu suo pos-
sent dimetiri; illasque in tanto
fuisse numero, ut recenserentur
usque ad centum sexaginta duas,
& omnes cum capitellis tanto ar-
tificio, tantæque curiositate ela-
boratis, ut velut totidem essent
prodigia. *Pulebra usque ad mira-
culum.*

Sed tertium, quod maximam
conferebat magnificentiam civi-
tati Jerusalem, est, quòd omnes
Judæi per omnes mundi nation-
es dispersi, obligati fuerint sin-
gulis annis comparere ibi in Pa-
schate; tum ad celebrandum ibi
Festum Azymorum, tum ad
manducandum Agnum Pascha-
lem; & universalis hic tot popu-
lorum concursus, constituebat
annuatim ipsam non amplius
civitatem, sed mundum.

In hoc igitur magno theatro
civitatis Jerosolymæ, voluit ju-
stitia Dei exhibere spectaculum
dolorum & ignominiarum ulti-
mi supplicii Salvatoris mundi,
oculis omnium Nationum pro
Festo Paschali congregatarum,
quasi propinare illi voluisset om-
nia opprobria, quæ comminatur
peccatori: *Ostendam Genibus nu-
ditatem tuam, & Regnis ignominiam
tuam.* Et tandem, ut funesta &
infamis

Magnificencia
Templi Salo-
monis.

Joseph. antiq.
Judaic. lib. 15.
c. 14.

Nahum 3.

Confluxus infamis ipsius mors melius toti
 omnium nationum in Jeru-
 salalem pro Feste Pascha-
 tis. pateret mundo, & exin in uni-
 versum divulgaretur orbem, af-
 fixus est in fastigio Crucis titulus,
 quo exprimebatur & ipsius No-
 men, & causa condemnationis
 ipsius: *JESUS NAZARENUS*
REX JUDÆORUM, & scri-
 ptus erat tribus præcipuis idio-
 matibus inter populos usitatis,
 Hebraico, Græco & Latino.

Cur Jesus
 Christus sit
 mortuus in
 conspectu
 omnium na-
 tionum mun-
 di.

Venite omnes mundi populi,
 & estote spectatores mortis Sal-
 vatoris vestri, suum effundentis
 sanguinem pro salute omnium.
 Venite omnes terræ nationes, &
 adeste iudicio, quod pronuntiant
 in ipsum mortales; erit enim a-
 liquandò dies, quo congregabi-
 mini vos omnes, ut magno ad-
 stetis iudicio, quod in mortales
 pronuntiabit ipse, exostulans
 ab omnibus rationem de morte
 sua. Venite omnes mundi ac-
 colæ, & estote testes injuriarum,
 quæ peccata vestra inferunt Ma-
 jestati Dei; hæc enim carnifices
 sunt ipsum huic affigentes Cru-
 ci. Venite & videte, quanto o-
 dio in peccatum feratur Deus.
 Omnes homines id committen-
 tes tantæ non sunt capacitatis,
 ut omnem portent vindictam,
 quam sumere de eo volet justi-
 tia Dei, ad satisfaciendum sibi
 plenè; totum requiritur infini-
 tum robor Omnipotentis Dei, ut
 totum illius portet supplicium.
 Ponderate hæc omnia benè, &

perpendite vobiscum, quanto
 vos odio prosequi oporteat pec-
 catum.

Secundum theatrum ignomi-
 niarum & dolorum amabilissimi
 nostri Redemptoris, magis ad-
 huc primo erat probrosum: si-
 quidem ultimo affectus est sup-
 plicio in monte Calvarix, loco
 patibulario magnæ civitatis Je-
 rosolymæ, quò justitia humana
 omnes ablegabat facinorosos,
 quos condemnaverat ad mor-
 tem. Non est, quem lateat, ejus-
 modi loca semper maximè esse
 infamia. Siquidem crimen tam
 abominabile est ex seipso, ut non
 solùm infamet personam id com-
 mittentem, sed etiam inficiat lo-
 cum ipsum, ubi afficitur suppli-
 cio, immò & carnifices ipsos,
 quibus inferre supplicium in-
 cumbit.

Cur Jesus
 Christus pas-
 sus sit in mon-
 te Calvarix,

Nihilominus verum est, quòd
 omnia loca in mundo maximè
 infamia nil habeant, quod adæ-
 quet in hoc Calvariam. Ratio
 est (sicut optimè annotarunt san-
 cti Patres) quia hic locus servit
 pro pegmate ferali, ubi execu-
 tionis mandata est prima mortis
 sententia ex ore Dei pronuntia-
 ta contra Adam omnium pecca-
 torum primum: hic mortuus
 est ipse, & velut certum habetur,
 ipsius caput sepultum esse in eo-
 dem loco, ubi plantata fuit Crux
 universalis Redemptoris om-
 nium filiorum Adæ; hancque

Yyyy 2

ob

ob causam, quod caput primi hujus facinorosi decalvatum hic fuerit, pilis & pelle sua exspoliatum, montem hunc nuncupatum fuisse Calvariam.

Calvaria erat
vindictæ lo-
cus justitiæ
Dei. Quare,

Hic igitur erat locus vindictæ, quem justitia Dei deputaverat ad sumendum supplicium de peccato hominum, hic omnes occidebantur facinorosi, rei que pœnæ capitalis; sed quando omnes mundi peccatores hic sustinuisent mortem, nihil fuisset ad satisfaciendum illi. Expectabat hæc illum, qui, cum tantæ fuerit bonitatis, ut oneraret se solum omnibus peccatis hominum, erat quoque tantarum virium, ut ipse solus portaret eorum justum, quod meruerant supplicium. Expectavit ipsa, quoad ille ascenderet hunc montem, ubi ipsa servabat omnem ac integrum thesaurum iræ Dei, omnes dolores, omnia opprobria, omnes justas ultiones, quæ debitæ erant peccato hominum, ut effunderet illum totum integrum, velut irarum torrentem in Personam ipsius, & per hoc omnia naturæ humanæ peccata punirentur tantum, quantum merebantur, & tandem justitia Dei, acceptâ jam plenâ satisfactione, cederet locum misericordiæ, ad extendendum sese in posterum super omnes homines, ut Calvaria clivus, qui hucusque fuerat locus plurimum infamæ &

maledictus, locus evaderet sanctissimus & honoratissimus totius universi: Non est in toto sanctior orbe locus.

Sanctus Epiphanius circa finem primi libri adversus hæreses trahit exin hanc sequelam plenam solatii pro cunctis miseris peccatoribus. Filius Dei ergo incipit reedificare naturam humanam destructam per peccatum, quando effundit sanguinem suum pretiosum, supra primum hujus ædificii fundamentum. Adam erat, qui primus illud concusserat, & in ruinas ejus attraxerat totam speciem, id est, omnes filios ac posteros suos in Persona sua inclusos; & directè quidem super personam ipsius suum effudit sanguinem, quod efficacissimum erat remedium omnium peccatorum primi hujus hominis, & totius posteritatis ejus. Cum ibi Crucifixus sanguine suo reliquias primi parentis ab initio massæ humanæ respergere incepit.

Et S. Augustinus clarius adhuc dicit, credibilissimum esse, quod Crux Salvatoris hominum profunde defossa & plantata fuerit in terra, ut tangeret cranium primi hominis in Calvaria sepulti: *Et verè fratres, inquit, non incongruè creditur, quia ibi erectus sit Medicus, ubi jacebat agrotus. & dignum erat, ut ubi occiderat humana superbia, ibi se inclinaret divina misericordia; &*

Cruz Jesu Christi plantata fuit super caput Adami magno cum mysterio.

Vide Sixtum Senens. Bibliothec. lib. 6. annot. 122.

S. Augustin. serm. 71. de temp.

sanguis

sanguis ille pretiosus etiam corporaliter pulverem antiqui peccatoris dum dignatur stillando contingere, redemisse credatur. O felix peccatum, dicere hâc occasione possumus cum Ecclesia, ô felix Adæ culpa, quæ tali remedio meruit reparari.

Quanta nobis felicitas, quod totus pretiosus sanguis Jesu Christi effundatur in animas nostras.

Sed nos fratres mei, perrexit Spiridion, aspiciendo nos facie serenâ & gaudio plenâ, non consideremus nos felicitatem incomparabiliter majorem, quam possidemus; dum totus pretiosus sanguis adorandi Salvatoris nostri tactu suo honorat corpora nostra, animas nostras corporaliter, realiter, substantialiter, dumque se effundit totum integrum usque ad intima, usque ad viscera nostra, & hoc non semel vel bis, sed indies, si velimus? quanta hæc nobis gloria, quam admirantur Angeli! O bonitas! bonitas infinita! suscipere in se voluit omnia probra & opprobria Calvarix, & omnem illius relinquere nobis honorem & gloriam. Sed quantam habeamus confidentiam in misericordias Dei? quâ ratione dare nobis possit majorem certitudinem, quod verè nos redemerit pretioso suo sanguine, quem verè sic effundit super nos? non dicendum est solum super nos, sicut super cranjum Adæ, sed dicendum est, usque in nos ipsos, in intima animarum nostrarum,

& corporum nostrorum. Et quod si sanctus Augustinus credidit, guttas sanguinis Salvatoris nostri, quæ ceciderant in locum, ubi erant cineres Adæ, argumentum fuisse Redemptionis ipsius; quis diffitebitur, nobis certitudinem esse multò majorem, & felicitatem longè certiozem illâ Adæ?

Tandem novissimum & omnium theatrorum maximè probrosum, ubi justitia magni Dei exequi voluit decretum æternum ultionum suarum contra peccatum in Persona Redemptoris hominum fuit Crux. Quis enim ignorat, quod mori in Cruce fuerit id temporis, mors omnium turpissima, crudelissima & funestissima, juxta universalem sententiam omnium in mundo nationum: sive inspiciamus Scriptores profanos: Appulejus vocavit ipsam supplicium damnatum & maledictum, *Crucem damnatam*; Seneca *infelix lignum*; Tacitus, *mortem servi & indignam homine libero*: sive attendamus id quod exaratum est in sacris literis; Gabaonitæ in maximo furore suo contra septem filios Saul invenire non potuerunt supplicium magis probrosum, magis sævum, quàm configere ipsos in cruce; & Deus ipse maledictum declaravit illum, quicumque finiêrit infelicem vitam suam pendens è ligno: *Maledictus*

Quanta infamia Jesu Christo, mori in Cruce.

Appul. lib. 1. de asino.

Seneca Epist. 10.

Tacitus lib. 4.

2. Reg. 21.

Deut. 21. v. 23.

Yyyyy 3

cu,

ctus qui pendet in ligno. Terra, aër & omnia elementa infecta videbantur præsentia alicujus pendentis in Cruce. Et ideo summâ contendebant curâ, ut, postquam efflavit animam, mox deponeretur & mandaretur terræ, ad removendum funestum hoc spectaculum aspectui hominum.

Jesus Christus crucifixus demonstrat horrorem peccati.

In hoc ergo ligno, quod maledictum credebatur, in hoc ignominia & crudelitatis theatro, infinita Dei Majestas sacrificata fuit iracundiæ Dei Patris sui, & implacabili, quo fertur in peccatum, odio. Omnia ingenia tum Angelorum, tum hominum contendunt summè, ut explant nobis horrorem peccati; omnes sacri Scriptores contexant volumina, usque dum cuncta evolvantur sæcula; ostendatur nobis infernus & omnia illius supplicia, exhibeantur nobis picture, qualescunque poterint exhiberi, ad demonstrandum nobis, quam horribile in seipso sit peccatum, & quanta sit magnitudo odii, quo Deus prosequitur illud: nunquam tam benè id conspici poterit, quam in Persona Jesu Christi; castigati in Cruce à justitia ultrice Dei Patris sui.

Quomodo peccatum excipiat Majestatem Dei,

Quomodo possibile est, quòd ille, qui infinitâ ratione amatur à Deo Patre suo, experiatur tam horrendos infiniti ipsius odii effectus? quomodo possibile est,

quòd ille, qui per essentiam est gloria infinita, ita oneretur opprobriis, totus opertus, absorptus, immersus ignominia, totus annihilatus in profundissima maximarum despiciatum abyfso? quomodo esse potest, quòd ille, qui Deus est immortalis, immersus omnium gaudiorum in æternitate Oceanus, tam sævos sustineat dolores, tot lethalibus sancietur plagis, tormenta patiatur tam atrocita, tandemque sceleratissimorum moriatur supplicio? Ah! peccatum, peccatum execrabile hominum! manifestè intueor injurias, quas infers Majestati Dei, nonnisi tu solum ita tractare potes ipsum; tam probè nunquam videram, quam tua abominabilis sit malitia. Non mihi ampliùs fiat sermo de inferno, nec de omnibus suppliciis, quibus Deus castigat peccata hominum: si aspicere velim abominatorem peccati, meliùs descriptam ipsam video in Persona Redemptoris mei, caracteribus pretiosi sui sanguinis.

Et posthæc adhuc ausim committere peccatum? Ah! væ mihi! quòd non potiùs tumultatus in æternum manserim in nihili abyfso! & posthæc non vindicem in meipso tot peccata, quæ contra infinitam Dei, quem adoro, commisi Majestatem, quæque fuere carnifices, è quibus est actus in Crucem? væ mihi! quòd non

Consideratio circa odium, quo prosequendum nobis est peccatum,

non

non potius suffocatus manserim
mei undâ Baptismatis ! & post-
hæc non contabescam horrore
ad minimam de peccato cogita-
tionem, velut ad aspectum ser-
pentis ? an non circumferam in
corde meo dolorem vehementis-
simum de illo commisso, qui
nunquam non me interiùs affli-
git & cruciat ? an non saltem
constans in corde meo foveam
propositum millenas potius to-
lerandi mortes, quam offendere
unquam tam amabilem Redem-
ptorem meum ?

Hi affectus Spiridionis vide-
bantur nobis tam æqui, ut adni-
teremur conficere illos, uti con-
ceperat ipse ; & voluissemus nun-
quam habere alios, quam illos
maximi erga peccatum odii,
quod inseparabile est ab amore
Dei. Verum desiderabamus ad-
huc, ut explanaret nobis myste-
rium aliorum symbolorum, quæ
in hoc facello representata vide-
bamus : quare JESUS CHRISTUS no-
luerit solus pati, sed in societate
duorum latronum ?

ARGUMENTUM.

*JESUS CHRISTUS crucifixus in medio latronum est Judex sublatus
in thronum suum, ubi pronuntiat sententias aeternas, sa-
lutis in hos, & damnationis in alios.*

ARTICULUS II.

QUando dicitur : à momento
dependet aeternitas ; intelligo
hoc de pretioso momento, quo
Filius Dei exspiravit in Cruce pro
salute omnium peccatorum : in
hoc momento divisit ipse am-
bas aeternitates, felicem & infe-
licem, & idèd moritur in medio,
unius prædestinati & alterius re-
probi. Et non est absque my-
sterio, quòd ambo fuerint latro-
nes, eòquòd ambo, dum ipse
thesauros suos divinos profun-
debat in favorem hominum,
suffurati sint, unus quidem para-
disum, & alter infernum.

Quare JESUS
Christus mo-
ri voluerit in-
ter duos latro-
nes.

Ille, qui furatur, accipit id,
quod non pertinet ad se, & acci-
pit occultè, haud ignarus, actio-
nem suam condemnandam fore,
si foret manifesta. Quis un-
quam, si intellexisset, quòd ali-
quis sceleratus, postquam suam
in latrocinis exegit vitam, com-
prehensus tandem à justitia, &
ad ultimum condemnatus sup-
plicium, in ipso actu, quo hanc
subiret sententiam, dum sibi per-
suasum habebat mundus, ipsum
infelicitatis suæ supremum atti-
gisse culmen : quis unquam co-
gitasset, inductum ipsum esse in
posse-

Bonus latro
furatur Para-
disum.

Luc. 23.

possessionem felicitatis æternæ, asseverante idiplum proprio ore. Dei: *Hodie mecum eris in Paradiso.* Bonum hoc erat, quod non pertinebat ad ipsum, sed quia invenit thesauros Dei omnino apertos auspiciatissimo eventu suffuratus est illud.

Malus latro
furatur infer-
num.

Et quis unquam credidisset, quod alter, qui ejusdem erat cum ipso farinæ, quique eadem potiebatur occasione, latro, cui usitatum erat, abripere bonum, ubicunque inveniebat illud, videns eosdem thesauros coram se apertos, aspiciens exemplum commilitonis sui, rapiens ad se possessionem Paradisi: quis credidisset, quod subripere mallet infernum? & in hoc verè extitit latro malus usque in finem. Infernus non pertinebat ad ipsum, siquidem hic factus non est pro hominibus: JESUS CHRISTUS ipsemet asseverat nobis in Evangelio, quod *paratus sit diabolo & angelis ejus.* Verùm fur hic & latro erat, assuetus abripere semper, quod non erat suum.

Matth. 15.

Ecce tamen veram imaginem prædestinatorum & reproborum: omnes in medio sunt thesaurorum, id est, gratiarum universalis Redemptoris, quos aperit is omnibus. Omnes affixi sunt in Cruce, hujus vitæ tempore: siquidem tam boni, quàm mali suas habent afflictiones, & in hoc statu boni suffurantur

Quâ ratione
boni cogantur
furari Pa-
radisum.

Paradisum, & peccatores protervi suffurantur infernum. Dico, quod boni furentur Paradisum; siquidem hoc faciunt quasi in occulto; oportet, ut abscondant se oculis mundi, à quibus plerumque crudelem patiuntur persecutionem, incedere volentes per viam cæli; oportet, ut meliorem partem bonorum suorum operum subtrahant cognitioni hominum, ad evitandum ipsorum censuram. Ah! opus est, ut abscondant se sibi metipsis, quantum potuerint, ne vanitas vel complacentia pretiosum hunc ipsis subtrahat thesaurum. Et hoc salubre consilium est, quod Salvator noster suggerit nobis in Evangelio: *nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua.* Hæc ratione boni furantur Paradisum, abs eo, quod mundus id videat, vel advertat.

Matth. 6.

Dico, quod reprobi similiter suffurentur infernum. Quamvis enim plures illuc currant omnino palam erecto capite, nihilominus sceleratissimi quique coguntur abscondere mundo maximam criminum suorum partem. Et quantos invenire est, qui maximam cavent industriam, ne quidquam suorum appareat delictorum, cum noverint, delicta trahere post se despiciatum in auctores suos. Quot numerantur hypocritæ, pietatis obrecti specie, viam cæli se ambulare simu-

Quomodo
reprobi infeli-
citer furentur
infernum.

lantes,

lantes, dum à criminibus, quibus scitent interius, præcipitantur occultissimè in profundum bathrum æternæ dampnationis? nonne affirmari potest hos omnes, quibus heu nimium abundat mundus, furari infernum?

Verùm mi Pater, inquit bonus noster Ecclesiasticus Spiritu; inconueniens mihi videtur, quòd Iesus Christus, qui Sapiencia est infinita, agnoscens perfectissimè ab æterno confirmatam reprobatorum malitiam, pati voluerit & mori pro illis, æquè ac pro prædestinatis? si homo, postquam accumulaverat plurimas summo cum labore divitias, voluntariè & liberrimâ sponte illarum partem projiceret in abyssum maris, an æstimeretur sapiens? Jam videtur hic aliquid longè deterius: mare namque saltem indignum non est ejusmodi munificentia, nec redderet huic homini malum pro bono accepto. Sed prodigere pretiosos thesauros sanguinis & meritorum Salvatoris in favorem reprobatorum, hoc non solum est illos perdere, velut qui projecisset bona sua in mare; sed est profanare illos, cum dentur indignis, redditis non nisi injurias & blasphemias æternas, in grati exhibitionem animi. Compone mihi hæc cum infinita Jesu Christi sapientia.

An non vides, respondit Spiritus Iesus Christus mortuus est effulgeat bonitas & sapientia infinita Salvatoris mundi? quia ex consilio divinæ suæ sapientia, mortuus est pro peccatoribus, non nisi passus & mortuus est pro indignis; & hic triumphus est bonitatum & divinarum miserationum ejus. Sed in hoc triumphavit maximè Sapiencia ipsius infinita, quòd excluderet neminem à magno hoc beneficio, nec bonum, nec malum, id est, nec reprobum, nec prædestinatum, ut mors ipsius æqualiter esset & Paradisus horum, & infernus illorum. Maximum beatorum gaudium est, frui vitâ æternâ acquisitâ sibi per mortem amabilissimi Redemptoris sui; & maximum damnatorum tormentum est, proficere noluisse è fructibus infiniti mortis hujus, quam æquè pro se ac pro aliis est perpeffus.

Absque hoc videtur, maximum inferni sui rigorem ipsis dampnatis, si fore adimendum. Siquidem Iesus Christus nonne incredibile foret solatium animæ damnatæ, si dicere posset: non est culpa mea; est, quòd gratia defuerit mihi, quòd facta non fuerim confors Redemptionis universalis hominum; ita relicta sum puræ infirmitati meæ naturali, cum qua nec evitare potui omnia peccata, nec servare omnia præcepta Dei: reprehensione proin digna non sum, eò quòd

Zzzzz

quòd

Stupendum videtur, quòd Iesus Christus mori voluerit pro reprobis.

Esset solatio damnatis, si Iesus Christus non fuisset pro ipsis mortuus.

quòd impossibile mihi fuerit meam evitare damnationem.

Et quia creditur, quòd infantes, qui moriuntur ante Baptismum, suffocati in sinu matrum suarum, quamvis priventur visione Dei, totum tamen non patiantur tormentum pœnæ damni, quod maximum inferorum est supplicium, eòquòd dicere possint: natura mihi defuit, quòd non receperim gratiam mihi in Sacramento præparatam, non est culpa mea; nunquam me mea reprehendet conscientia, quòd facere potuerim pro salute mea plus, quàm fecerim. Similiter si anima adulta dicere posset cum veritate: Gratia mihi defuit, cum nulla mihi pars fuerit in Redemptione Salvatoris; gratiam non habui, sinè qua impossibile mihi erat meam evitare perditionem. Quis non videt atrocissimum inferni tormentum, quod remorsus est conscientia, ipsi fore adimendum? quis enim reprehendi vel dolere potest ex eo, quòd non fecerit, quod sibi factu erat impossibile?

Quantum tormentum sit damnatis, quòd nil profecerint ex morte Jesu Christi pro ipsis perpessa.

Sed quando videt, quòd ex propria sua malitia perdiderit id, quod acquisierat sibi Salvator tantâ bonitate; quòd gratia non defuerit sibi, sed gratiæ defuerit ipse; quòd potuerit, & non voluerit: quando clarè videt, quòd modò nos credimus velut articulum fidei, quòd Jesus Christus

pro se sit mortuus, quòdque verè suam voluerit salutem: quando videt, quòd habuerit media tam efficacia, tam facilia, tam copiosa, quibus munire se potuisset à malis, quæ patitur, æternis; quòd tam faciliè comparare sibi potuisset possessionem infinitorum bonorum in cœlo, quæ nunquam habebit; quòdque ex pura sua perditus & damnatus sit culpa; ecce id, quo extimulatur implacabilis contra seipsum rabies, quod maximum ipsius constituit tormentum in omnem æternitatem. Non igitur ulterius quæras, ubi sit sapientia Jesu Christi, quòd passus fuerit pro reprobis, quibus nihil profuturum erat? ecce triumphum infinitæ sapientiæ Filii Dei de stoliditate damnatorum!

Pulchra probatio, quòd Jesus Christus mortuus sit pro peccatis reproborum.

Hoc argumentum sanè videbatur optimum; sed addere eisdem volui aliud, quod mihi videtur tam luculentum, tamque constringens, ut impossibile credam, id rejici à quapiam posse, qui vel parum habebat rationis. Observo, duo esse mala in peccato: unum, quod est injuria Dei, & alterum, quod est ruina peccatoris. Salvator mundi venerat, ut remedium afferret utrique huic malo per passionem & mortem suam; sed præcipuè & principaliter ad reparandum injuriam Majestati Dei factam. Jam quæro imprimis: nonnè verum

verum est, quòd omnia peccata hominum, quicunque sint, tam reproborum, quàm prædestinatorum, infinitam injuriam inferant Deo? de hoc dubitare non licet. Nonnè ergò fuerat opus ad faciendam plenam & integram reparationem honoris Majestati Dei offensæ, ut moreretur Salvator pro omnibus peccatis universaliter tam reproborum, quàm prædestinatorum? au dicere quis audeat, quòd multam honorariam non fecerit Deo Patri suo, nisi pro parte tantum, quòdque nonnisi pro reparatione injuriarum à prædestinatis factarum moriens, reliquerit in æternum omnia reproborum crimina absque reparatione injuriæ Deo ab ipsis factæ? & quis non videt, ita loqui, fore blasphemiam, cum hoc esset Salvatorem spoliare infinito amore, quo succenditur pro gloria Dei Patris sui? & ex hoc fateri oportet omnes, quòd mortuus sit & satisfecerit pro omnibus peccatis reproborum non minus, quàm pro illis prædestinatorum.

Quòd JEsus Christus mortuus sit pro persona reproborum.

Jam ex primo hoc sine, quem Salvator præstituit sibi in Passione sua, de reparanda universaliter omni injuria, Deo ab omnibus peccatis illata, moriendo pro omnibus peccatis, judicare possumus & debemus de secundo, scilicet, de reparanda ruina & jactura, quam cunctis peccatori-

bus intulit peccatum. Quare enim limites ponantur bonitati illius potius pro una, quàm pro altera parte? sicut probrosum foret amori infinito, quo exardescit pro gloria Dei Patris sui, dicere, quòd reparare illam noluerit nisi ex parte tantum, cum posset reparare ipsam ex integro; ita probrosum quoque esset infinitæ magnitudini misericordiarum ejus, & fervoris ac zeli, quo fertur in salutem animarum, cogitare, quòd nonnisi unam reparare voluerit partem, cum reparare posset omnes, & mori pro peccatoribus cunctis, sicut mortuus est pro omnibus peccatis.

Interrogatis: Cur igitur non omnes peccatores salvantur, cum voluerit salutem omnium voluntate tam seriâ, tamque efficaci, ut conciliaverit illi mortem? capere non possumus, quòd Deus velle aliquid possit efficacius & ardentius, quam si impendat se totum integrum, eòsque, ut propriam suam sacrificet vitam. Fatendum est, quòd hoc sit velle aliquid tam vehementer, quàm velle quis potest; & si reparationem omnium peccatorum voluit omni cum robore potentis hujus voluntatis, resistere quis potest voluntati Dei? nonnè facit illa omnia, quæ vult voluntate efficaci? *Omnia quacunque voluit, fecit.*

Cur non omnes salvantur, cum Deus velit omnes salvari.

Psal. 113.

Zzzzz 2

Re-

Nos impedi-
mus volunta-
tem Dei; quo-
modo.

Respondeo ad hoc, quòd omnia, quæ non dependent nisi à voluntate Dei, ipse semper faciat efficaciter, quando verè vult illa; sed quando res non dependent à sola voluntate Dei, sed requirunt concursum voluntatis hominum, sæpissimè voluntas Dei non adimpletur, quamvis verum sit, ipsum, res velle voluntate vehementissimâ, eòquòd ingratus & rebellis homo ipsi denegat suæ concursum voluntatis; & hoc est, quod omnia peccata facit in mundo. Nonnè Deus vult, ut omnia sua serventur præcepta à cunctis hominibus? sed plerique homines id nolunt, & hæc oppositio, quâ voluntas illorum adversatur voluntati Dei, facit, ut divina hæc voluntas non adimpleatur. Similiter vult, ut omnes salventur homines, juxta exploratum hoc effectum Apostoli: *Vult omnes homines salvos fieri*; sed plerique homines id nolunt; & hic solus defectus, dum non concurrat voluntas ipsorum cum voluntate Dei, est causa damnationis eorum. Nonnè videmus, quâ ratione conqueratur ipsemet de hoc in Evangelio: *Quoties volui, & nolui?* Interrogas, quis resistere possit voluntati Dei? tu, quoties peccas.

I. Tim. 2. 4.

Quid dicis, ingrata creatura, quòd noluerit Jesus Christus salutem tuam? quid amplius po-

tuit is facere, ad declarandum tibi, quòd illam velit efficaciter ex parte sua. Verùm agnosce te esse, qui illam nolis: quid enim agis ad cooperandum consilio bonitatis super te? ne dicas, quòd gratia ipsius tibi desit; nōsti enim optimè, quam potentibus & frequentibus inspirationibus ipse te exstimulet interius. Sed agnosce te esse, qui desis ipsius gratiæ. Nonnè enim verum est, te non obtemperare minimæ parti inspirationum, quibus te prævenit? an intolerabili arrogantiâ justificare teipsum audeas & conjicere jacturam salutis tuæ in Deum, dicendò: Non stetit per me, non ego peccavi, nec reus sum; sed Deus non fecit ex parte sua, quod requirebatur ad salutem meam. Stupidè, ingratus, & insensate homo! ipse plus fecit pro te solo, quam opus foret ad salvandum omnes damnatos simul; & tam parum tu agis, ad cooperandum salutem tuam, quasi anima tua nihil esset, tūque nihil exindè traheres commodi; & tamen, qui creavit te sine te, non salvabit te sine te.

Quid cogitari potest, quando Jesus Christus videtur, è duobus peccatoribus, qui socii Jesu Christi in Passione fuerant, qui tam conformes extiterant ipsi in suis suppliciis, coram quibus ipse moriebatur, & pro quibus effundebat sanguinem suum, perire unum in medio

Gratia nobis
non deest, sed
nos desumus
gratiæ.

Ab
mo
pen
tas;
do.

medio totius diluvii gratiarum ejus, & salvari alterum in mediis tormentis suis: Jesum Christum conduxisse unum ad cælos, & alterum detrusisse in barathrum inferni? quid dicatur ad hoc? nisi quodd Jesu Christu non solum egerit partes Redemptoris in monte Calvarie, sed jam inceperit exercere absolutam hanc potentiam Judicis vivorum ac

mortuorum, quorum novissimum exercebit actum ad finem sæculorum, decidendo formidabile punctum magnarum duarum æternitatum, juxta quod hi voluerint, & alii noluerint participes se reddere fructuum Crucis sue. Nil est, quo melius hoc nobis declaretur, nisi horum duorum latronum exemplo; quod monstrabo vobis.

ARGUMENTUM.

Bonus usus, & malus usus Crucis Domini nostri in exemplo boni & mali latronis.

ARTICULUS III.

Ab uno solo momento dependet æternitas; quomodo.

QUAMVIS æternitas respondeat æternitati, æternitas creaturæ æternitati Dei; nihilominus tamen notabilis in hoc est differentia, quod æternitas Dei non minus sit ipsi necessaria, quam esse suum, pro eo, quod æternitas creaturæ tam parum, quam esse suum, sit necessaria ipsi. Verum Deus in decretis liberis divinæ suæ sapientiæ, duas fecit æternitates pro creatura, unam felicem & alteram infelicem; & voluit dependere utramque a solo & unico momento; & momentum hoc est illud mortis Salvatoris mundi. Et ut demonstraret nobis, quod utraque dependeat à Cruce Domini nostri, pati voluit mortem inter aliquem prædestinatum secum crucifixum,

quique immediatè à Cruce sua transiret in æternitatem beatam, & alterum reprobum similiter Cruci suffixum, quique à Cruce sua transiret illico in æternitatem calamitosam.

Probè ex hoc intelligo, quod Crux & æternitas sint inseparabiles, sicut porta inseparabilis est à domo, cujus est porta. Verum nõsse, an Crux creaturæ introductura sit ipsam in bonam vel malam æternitatem, problema est, & problema hoc non deciditur, nisi per Crucem Salvatoris nostri. Siquidem sunt, qui fabricantur Crucem Jesu Christi; sunt alii, qui portant Crucem Jesu Christi. Primi crucifigunt Jesum Christum, & alii sunt crucifixi per Jesum Christum. Illi

Zzzzz 3

blas-

blasphemant IESum Christum, illumque maledicunt usque ad Crucem; alii ipsum benedicunt, ipsum adorant, ipsum agnoscunt & amant usque ad horrorem Crucis suæ. Et ecce eventum prorsus contrarium boni & mali latronis, id est, omnium prædestinatorum & omnium reprobatorum, decisum per Crucem Salvatoris mundi. Non advertitis, quod ambo æqualiter fuerint crucifixi, quodque ambo fuerint passi in præsentia IESu Christi; sed uterque exercebat ministerium summè inter se contrarium. Siquidem latro malus crucifigebat IESum Christum, adjiciens quantum poterat, doloribus ipsius, opprobriis ipsius; & bonus latro crucifixus erat per IESum Christum, quia recipiebat crucem suam à manu Dei, ipsumque benedicebat. Et hinc est, quod unus è Cruce sua ingressus fuerit æternitatem beatam, & alter miserè ceciderit è Cruce sua in æternitatem calamitosam: ambobus Crux fuit porta æternitatis.

Quomodo fors bonorum & malorum decidatur per Crucem IESu Christi.

Quam reprehensibilis sit malus latro.

Omnes reprehendunt & condemnant malitiam ac duritiam invincibilem mali latronis. Res stupenda, quod infelix hic in universali tremore omnium creaturarum doloribus Creatoris sui compatientium, manserit incunctus in perversa voluntate sua; quodque, dum videbat ipsos, qui

ipsum crucifixerant, carnifices, exterius commotos dolore, quo stimulante sua percutiebant peccata, ipse cunctis crudelior carnificibus, crucifigeret ipsum usque in cor ipsius, afferens ipsi dolorem, dum videre debuit animam, quam salvare voluerat, perire in æternum, non obitante omni contentione, quam adhibebat, ut ab hac perditione custodiret illam. Affirmari potest, quod omnes dolores, quos exterius in suo tolerabat corpore, nihil fuerint respectu cruciatuum, quos sufferebat in corde suo ob jacturam unicæ hujus animæ.

Siquidem amabat illam plùs, quam propriam vitam suam, quod hanc promptissimè dedit pro ipsa. Jam dolor est in separatione hujus, quod amatur & quanto fortius est vinculum amoris, tanto atrocior est dolor, quando dirumpi id debet. Nunquam amor tam fuit fortis, sicut amor IESu Christi erga peccatores, pro quibus suum effudit sanguinem. Quis ergo imaginari sibi poterit, quam horrendum fuerit tormentum animæ ipsius, quando peccatum per impenitentiam finalem confirmatum, avulsit hos ipsi è medio cordis sui, ut in æternum separarentur, & separati manerent ab ipso. Illi patiuntur infernum, quando sunt ab ipso separati; sed post-

Quantum IESus Christus patitur, dum membra corporis sui mystici avelluntur ipsi ab inferno.

Omnibus immanibus malis, nem,

postquam specie quâdam inferni cruciarunt ipsum in actuali sui separatione. Est æqualitatis quædam species in pœnis, quæ ratione quâdam infinitæ sunt utrinque, sed diversimodè: siquidem in damnatis ipsæ infinitæ sunt in executione & duratione, & non in violentia, eòquòd illæ hujus capaces non sint; & in Jesu Christo ipsæ ratione quâdam infinitæ fuerunt supra Crucem, in vehementia & intensione, non in duratione. Postquam enim omnia hæc tam chara membra avulsa fuere è corde ipsius, nihil ampliùs passus est ex ipsis, non plùs, quàm patereris tu abscisâ manu, post dolorem, quem senteras in actuali separatione.

Omnes repro-
bi imitantur
malum latro-
nem,
Verum igitur est, quòd malus latro crudelior fuerit omnibus carnificibus crucifigentibus Jesum Christum, & omnes condemnant ipsum. Et nihilominùs certum est, quòd omnes reprobi, qui pergunt crucifigere illum sicut ipse, usque ad supremum vitæ suæ halitum, adæquent, si non superent ipsum crudelitate suâ. Imò, hoc verum est secundùm litteram: quicumque committit peccatum mortale, crucifigit iterùm Jesum Christum in semetipso; & quanto tempore conservat hoc peccatum in conscientia sua, crucifigere ipsum temper actualiter pergit; & quando obdurationem

suam in peccato protrahit, usque ad ultimum vitæ suæ momentum, quo separari debet in æternum à Jesu Christo, tractat illum eadem crudelitate, quâ tractatus fuerat à malo latrone.

Haud me latet, quòd mundus stupidus & totus carnalis, non nisi per sensus assuetus judicare de rebus, inducat animo, hanc meram esse imaginationem: verùm hæc positiva est veritas, quam fides nos docet, quam S. Paulus luculentis exaravit verbis pro instructione posteritatis & admiratione cunctorum sæculorum: *Rursum crucifigentes in semet-ipsis Filium Dei.* Quando com-

Heb. 6.

mittis peccatum mortale, crucifigis iterùm Jesum Christum in semetipso. Benè novi, hoc non fieri exterius, nec manibus corporeis, modum autem illius non novi; novi, rem veram esse, eòquòd Scriptura sancta tam expressis id asserat verbis; adeoque accenseo id ipsum meæ articulis fidei, & non magis credo, ipsum crucifixum esse per manus Judæorum in monte Calvaria, quàm credam, quòd ipsum iterùm crucifigas in semetipso committens peccatum mortale. Non attendas, quòd oculi tui nihil ejusmodi videant, neque quòd ratio tua comprehendere id non possit; sed considera, quòd fides, quæ infinitâ ratione certior est, quàm vel sensus tui, vel ratio tua,

Quomodo
verum sit,
quòd peccator
crucifigat
iterùm Jesum
Christum in
semetipso.

tua, hanc tibi declarat veritatem. O si permitteret Deus, ut peccator hanc caperet veritatem, illaque in animo ipsius produceret effectum, quem producere deberet, nonne sufficeret, ut exueret ipsum vitam, præ horrore, dolore, & abominatione sui ipsius.

Crudelitas,
quam ille, qui
perseverat in
peccato, exer-
cet in Jesum
Christum,

Sed deterius est, quando conservas in anima tua peccatum, quod semel commisisti; tunc enim crudelitas tua contra Jesum Christum summum obtinuit fastigium. Tu hoc non comprehendis; sed considera, quod cum peccatum mortale sit carnifex ipsum crucifigens, quamdiu subsistit hic carnifex actualiter, tamdiu ipsius subsistat crucifixio, & semper perduret. Hoc igitur est, semper tenere manibus virgas ad ipsum flagellandum; hoc est, semper clavos & malleum stringere dexteram, ad perforandum illi manus & pedes; hoc igitur est, semper coronam spineam ipsius imprimere fronti, ad ipsum vulnerandum; hoc igitur est, semper habere lanceam lateri ipsius admotam, ad transfigendum cor illius, quasi si furore ac rabie quis percitus, non contentus suum jugulasse inimicum, actualiter semper teneat pugionem in sinu ejus, per diem, per mensem, per annum omnino integrum, quin rabies ipsius sedari aut satiari possit tam longo tempore? hæc furoris tam desperati conti-

nuatio, nonne horrore percelleret totam naturam, nonne ipsam morte foret crudelior?

Sic omnino peccator agit cum Jesu Christo. Quando committit peccatum, infligit ipsi ictum lethalem, eoque iterum crucifigat ipsum in semetipso, juxta S. Paulum, & malum, quod ipsi infert, sit lethale. Sed quando conservat & retinet hoc ipsum peccatum occisor hic Filii Dei in corde suo, dies, hebdomades, annos integros, ita, ut non revertatur in se, & suum non detestetur crimen, sed firmiter perseverat in sua mala voluntate, nonne hoc sit, quasi semper pugionem tenere velle in jugulo Redemptoris sui, ex malitia & impietate, quæ longè transcendat illam Judæorum, ipsum in monte Calvarie crucifigentium? postquam enim suo illi satisfecerant furori, quamprimum doluerunt de eo, & reversi percutiebant pectora sua: & tu magis durus, magisque obfirmatus in injuriando Deum, quam Deicidæ illi, non tangeris dolore; sed oblectaris adhuc abominandam, quam commisisti, actione; circumfers in corde tuo crimen tuum, quod tui Salvatoris est carnifex, quin displiceat tibi; tu id approbas, idque confirmas totum fixum ac vivum in voluntate tua, quasi tripudiare velles de morte ipsius, & illudere ipsum

Qui permanet
in peccato suo
pejor est Ju-
dæis.

sum adhuc de injuriis à te ipsi factis.

Heb. 6.

Et hinc est, quod S. Paulus adjunxerit : & ostentui habentes. Postquam dixit, quod crucifigas iterum Filium Dei in temetipso, quoties peccatum committis : Rursum crucifigentes in semetipsis Filium Dei; mox addit : & ostentui habentes. Postquam occidisti ipsum peccando actualiter, illud ipsum ac irrides persistendo in maledicta tua voluntate, quasi approbares & ratum haberes illud, quod fecisti, & quasi insolenter tripudiare velles de tam indigno, quo ipsum accepisti, modo. Et quod malum summè accumulatur, est, quod Christianus, qui adorare se illum fingit, crucifigat ipsum in seipso, sicut Judæus in Golgothæo vertice, ipsum non agnoscens, nullam ipsius habens cognitionem; est, quod videns ipsum Crucifixum, velut malus latro in suis ignominis blasphematur ipsum, absque ullo conscientie suæ remorsu; nihil credat ex omnibus, quæ sibi dicuntur, nihili ipsa pendat, credatque hæc omnia, non nisi imaginationes esse & figmenta, ad omnia manens absque sensu. Tuam attestor conscientiam, qui hæc legis; nonne verum est, quod veritas verborum, in quibus S. Paulus dicit, peccatorem rursus crucifigere Jesum Christum in seipso, & exin

Qui peccatores irrideant Jesum Christum, postquam ipsum crucifixerunt.

ad Hebr. 6. v. 6.

ostentui ipsum habere, nunquam tum penetraverint animum, nec ullam in ipso fecerint hucusque commotionem!

An fabulæ ergo sint, quæ tibi affirmat Spiritus sanctus? si hæc non credas, eecur credis, quod mortuus sit in monte Calvaria? nonne omnia sacra Scripturæ verba æquali ratione sunt vera? & si absque horrore auscultare non potes illud, quod attestantur tibi de injuriis, quibus proficerunt ipsum Judæi, & de blasphemis, quas evomuit in ipsum malus latro in Golgothæo vertice; quomodo non tangeris horrore tui ipsius, cum eadem Scriptura tibi dicat, quod & tu simili ratione accipias ipsum? Ita, eadem ratione ipsum accipis, quando peccas, & præsertim, quando voluntariè in tuo perseveras peccato. Obcecate munde, munde insensate, qui falsò tibi persuades, te esse Christianum, eò quod illius circumferas nomen; quid tibi prodest, te Christiani phantasma esse, & Christianum imaginarium, cum non magis movearis emolumentis Jesu Christi, quam si fores Atheus?

Consideratio viva cum fide facienda.

Miseremini mei, miseremini mei; saltem vos amici mei. Saltem, vos fratres mei, dicebat nobis sanctus hic solitarius tenerrimi sui cordis affectu; saltem vos moveamini malis, quæ cuncti peccatores amabilissimo vestro in-

A a a a a

ferunt

Omnes bonæ animæ moveri debent injuriis, quas **JESUS CHRISTUS** suffert à peccatoribus. ferunt Redemptori; vos, qui amatis illum; vos, quibus viva est fides, vestræ imprimens animæ profundam ergà augustam Majestatem ipsius reverentiam; vos, qui amore intimo prosequimini infinitam ipsius bonitatem. Vos alloquitur, vósque sollicitat, ut suis compati velitis injuriis, quibus vestri ipsum afficiunt fratres. Ah! deplorate ipsorum cœcitatem, deplorate ipsorum perditionem; sed deplorate cumprimis & abundantius omnes cruciatus, qui renovantur indies & horis singulis in universo mundo à peccatoribus in Persona **Jesu Christi**.

JESUS CHRISTUS crucifigit bonos secum,

Et itane, mi Pater, inquit ipsi bonus noster Ecclesiasticus; si omnes peccatores crucifigunt **Jesum Christum**, an subire oportet omnes inauspicatam Judæorum & mali latronis sortem? non, respondit, sunt ex illis, quos felici crucifigit eventu **JESUS CHRISTUS**, secumque pati facit, velut bonum latronem, ut & colligant secum fructus Crucis suæ. Dixi vobis, duas Cruces boni & mali latronis, insinuare nobis, quod omnes homines, sive boni sive mali, sive prædestinati sive reprobi, suas habeant Cruces; sed reproborum cruces ipsorum sunt vitia, quæ cruciant **Jesum Christum**, ipsumque occidunt; & cruces prædestinatorum, ipsorum sunt virtutes, ip-

forum mortificationes, ipsorum poenitentia, in quibus **JESUS CHRISTUS** ipsos secum pati facit, ut tandem dicat illis, quod bono latroni: *Hodie mecum eris in Paradiso.*

Inæstimabilis hæc bono latroni fuit gratia, pati in præsentia, & in societate Domini nostri: siquidem, cum merita Redemptionis dimanarent velut torrens misericordiarum è vulneribus Salvatoris, ad inundandum universum orbem, ipse proximus fuit fonti & scaturigini, ut reciperet inde profusiones primas, quibus propemodum sanctificatus est in instanti. Fatendum est, hanc felicitatem fuisse pro ipso, qui non inveniatur æqualis; sed verum quòq; est, ipsum ex parte sua magnæ huic gratiæ correspondisse fidelitate incomparabili.

Hic homo, qui nullam acceperat informationem, sicut Apostoli per tres annos in schola **Jesu Christi**, qui non aspexerat ipsius miracula, qui formatus non erat, sicut ipsi, ad virtutem vitæ ipsius exemplis, quique totus ex adverso non didicerat nisi mala, nec exercuerat eòsque nisi latrocinia; ubi primùm recipit gratiam, mox cooperatur illi tantà cum fidelitate, tanto cum fervore, ut plus ostenderet fidei, plus spei, plus amoris Dei, plus doloris de peccatis suis, & unico verbo, plus perfectionis, quam omnes

Felicitas boni latronis.

omnes Apostoli. Et Deus, qui amator est fidelitatis, donavit ipsum prerogativam, ut ante omnes Apostolos ingrederetur Paradisum.

Omnes Apostoli reliquerunt ipsum tempore Passionis suae: *Relicto eo omnes fugerunt; quamvis probe nossent, ac toties etiam essent confessi, ipsum esse verè Filium Dei.* Et hic, qui eousque nunquam cognoverat ipsum, videns supremo ipsum condemnatum supplicio, & morientem velut capitalis reum criminis, credit ipsum Deum esse immortalem. Quam prodigiosa debuerat esse virtus ac potentia fidei ipsius? videbat illum maximam oppressum humiliatione, quam atfici poterat infelicissimus mortalium, cujusmodi est, finire per manum carnificis vitam; & expectat ab ipso Regnum aeternum. Quanta esse debuit firmitas spei ipsius? videbat ipsum horrore esse toti Nationi Judaicae, omnisque velut abominandum maledicere ipsum, & is in hoc statu amore summo amat ipsum, velut verum Deum suum. Quam inestimabilis debuit esse ardor charitatis ipsius. Et nonne judicare possumus, ipsum eadem ratione omnes alias exercuisse virtutes, patientiam, humilitatem, obedientiam, resignationem in voluntatem Dei, ceterasque perfecti Christiani virtutes in excellentia sua?

Tandem homo iste, qui lethales in corpore suo tolerabat dolores, qui sufferebat in anima sua terrores mortis vicinae, qui habebat ob oculos opprobrium suum, inquietudines, angustias, agonias supremi supplicii, obviscitur horum omnium, ut crucifigat semetipsum in corde suo per dolorem magis vehementem, quam erant illi omnes corporis sui & animae suae, qui proficisceretur ex dolore, quod tantum offenderit Deum suum. Quam stupenda contritio! proprias suas non attendit poenas, ut non aspiciat nisi poenas & mortem Redemptoris sui, ad consecrandum cor suum, & omnes cogitationes suas Deo soli. O generositatem absque exemplo! ô fidem! ô spem! ô amorem! ô admirabilem fidelitatem & obedientiam exhibitam gratiae Salvatoris sui! nonne exquisitum tibi videtur, ut suavissimum hoc perciperet verbum ex proprio Jesu Christi ore: hodie mecum eris in Paradiso? non reperire est Sanctum in tota Ecclesia, cujus canonizatio magis sit authentica, magisque certa, quam latronis hujus. Quamvis enim plerumque ab omnibus credatur, multos Sanctos esse majores ipso, alios tamen non novimus, de quibus ipsemet Jesus Christus affirmaverit, quod verè sint in Paradiso.

A a a a a 2

Ad-

Certi sumus, bonum latronem esse Sanctum.

Marci 14, v. 5.

Virtus heroica boni latronis.

Cur non celebratur Festum de bono latrone.

Admiror igitur, dicebam ipsi, quod non major festivitas celebratur de eo in Ecclesia, & non tanta, quanta celebratur de Apostolis vel Joanne Baptistâ. Respondit mihi admodum sapienter, quod Ecclesiæ intentio sit, quando celebrat festa Sanctorum, proponere nobis exempla, juxta quæ nostram possimus efformare vitam imitando ipsos. Jam videtur, hunc esse minùs imitabilem ex omnibus Sanctis: quamvis enim dici possit, quod exempla virtutum heroicarum, quas exercuit in Cruce, ipsius tam viva fides, ipsius tam firma spes, ipsius tam ardens amor, ipsius tam perfecta contritio, ipsius tam prompta conversio, in ipso, quo illuminatus est, instanti, & denique omnes aliæ virtutes, quas in gradu exercuit perfecto, antequam quasi degustaret illas, extimulare possint vecordissimos quosque ad imitandum: nihilominùs fatendum est, illarum imitationem nulli esse possibilem, eoque res non sint amplius, nec unquam amplius futuræ sint in eodem statu, quo tunc fuerunt. Non videbitur renasci eadem dies, eadem Passio, eadem præsentia Salvatoris morientis in Cruce; privilegium hoc est pro ipso solo; & hæc gratiarum, quas recepit, tam stupendarum abundantia, affixa erat pretioso huic Redemptionis

actualis mundi momento, quod amplius non revertetur.

Eheu! quàm periculosum foret, ipsum proponere sibi pro exemplari, ipsumque imitari vel le! nonne videmus, quod innumeri inveterati peccatores, sine intermissione allegantes exemplum boni latronis, temerariâ expectarint præsumptione, quod, postquam suam exegissent vitam, sicut ipse, in criminibus, possent etiam, sicut ipse, evadere in Sanctos in ultimo vitæ suæ momento, quando præsentem habuerint, sicut ipse, Jesum Christum suæ morti, saltem in imagine sua, dicturi ad ipsum, sicut ille: *Domine memento mei* modò, dum es in Regno tuo, & illius mihi largire possessionem; quando dicturi, quod credant, quod sperent, quod ament, quod doleant de ipsius offensa, quamvis hæc omnia non nisi extimis dicant labiis, & præsumentes se esse imitatores boni latronis, sese inveniant socios ac comites latronis mali in abyssu inferni.

Nescio, an bonus hic Sanctus multis extiterit hominibus causa salutis, nisi potenti intercessione sua; sed timendum potius, ne occasio fuerit, quantumvis innocens, damnationis plurimis animabus: siquidem nimis quàm multi assimilari vellent ipsi vivendò pessimè, & moriendò optimè: & non considerant, ipsum

Multi pereunt, proponentes sibi exemplum boni latronis.

Bonus latro fuit occasio licet innoxia perditionis multarum animarum,

ipsum solum esse à creatione mundi è tot millionum millionibus hominum, qui vixerunt in terris: ita, ita ipse solus est, qui totam vitam suam exegerit in malo, de quo nobis ex sacris litteris constat, quòd finierit sanctè. Nonnisi ipsum solum novimus à creatione mundi, & certitudinem non habemus, an futuri sint adhuc similes alii,

ex nunc usque ad consummationem sæculi. Pondera, quàm cæca illius foret temeritas, qui auderet prætere, quòd, postquam sicut ipse vixerat, moriturus quoque sit, sicut ipse. Hoc exemplum non est, quod proponitur ad imitandum, sed est speciale prodigium misericordiarum Dei, quod potius est admirandum.

ARGUMENTUM.

Ambæ æternitates, felix & infelix, id est, omnes damnati, & omnes Salvati aspiciunt Jesum Christum in Cruce, sed modo valde diverso.

ARTICULUS IV.

Symbolum
duarum æternitatum, felix & infelix

Dixi vobis, fratres mei, perrexerit Spiridion, quòd introducens vos in hoc sacellum, introducam vos in æternitatem; cujus hic aspiciatis Symbola: attollite in altum oculos, ubi vester sese perdit aspectus in cælo, splendore ac lumine mirificè referto, desinente in vastam planitiem, nullis circumscriptam limitibus, & hoc representat vobis æternitatem beatam. Dejicite exin oculos vestros in magnam abyssum, quam aspiciatis apertam inter Crucem Jesu Christi, & illam mali latronis, cujus totam attingere non poteritis profunditatem, nihilque ibi vestri videbunt oculi, nisi horrendam quamdam caliginem, quæ

est terrori. Et hæc tenuis imago est infelix & calamitosa æternitatis. Crux Salvatoris figit pedem super harum æternitatum unam, & caput attollit versus alteram. An hujus bene comprehendis mysterium?

Hoc est, quòd decreta, quæ fecit Deus ab æternitate sua super omnes creaturas rationales, pronuntiata sint è Cruce, velut unico throno justitiæ magni Dei. Aspicio tria judicia summe formidanda, quæ tria sunt barathra nostræ cognitioni impenetrabilia. Primum est judicium Dei supra Deum ipsum, per quod condemnatus est ad tolerandam mortem Crucis. Secundum est judicium malo-

Aaaaa 3

rum

Tria judicia
affixa Cruci
illud Jesu
Christi, illud
Angelorum,
& illud ho-
minum.

rum Angelorum, per quod condemnati sunt ad habendum nunquam partem è fructibus Crucis Salvatoris mundi. Et tertium est iudicium hominum, per quod condemnati sunt, ad reddendum exactissimam rationum de passione & morte Redemptoris sui. Qui reddent bonam rationem de ea; ecce felicem æternitatem præparatam, quæ ipsos recipiat. Et qui non reddent; ecce infelicem æternitatem reseratam, quæ ipsos deglutiat. Et idè dixi, quòd utraque æternitas aspiciat Passionem & mortem Jesu Christi, sed diversimodè.

Verum est, Jesum Christum, qui proprius est Filius Dei, sublatum esse in Crucem, velut reum iudicatum & condemnatum per sententiam æternam Dei Patris sui; sed postquam hanc subiit sententiam, hic dolorum & ignominiarum ipsius thronus, factus est thronus gloriæ & magnificentiæ ejus; *Patibulum damnati, factum est tribunal judicantis.* Et hinc commemoratur velut Judex supremus, cum tota judicarij muneris potentia, quam Pater ipsius æternus suis consignavit manibus:

Joan. 5. v. 22. *Omne iudicium dedit Filio;* & ipse decernit æternitates creaturis suis, & decernit illas è Cruce sua, & virtutem Crucis suæ, & ob causam Crucis suæ.

Vos Angeli rebelles, vos nunquam venietis in partem fructu-

um Crucis meæ, & peribitis in æternum, absque ulla gratia. Ah! cur ita Domine? an passio tua sufficiens non est ad salvandos Angelos peccatores, sicut ad salvandos peccatores homines? est ipsa plus quam sufficiens; sed misericordiam exhibebo hominibus peccatoribus, sed non peccatoribus Angelis. Eecur tam inusitatum in eos rigorem, quem non exerces in homines? non commiserunt ipsi nisi unicum peccatum, & homines committent eorum millionum millia: non commiserunt ipsi, nisi peccatum mente; & homines committent ea mente ac corpore: sunt ipsi creaturarum tuarum nobilissimæ, & homines non sunt, nisi vermiculi terræ in comparatione; non indigent ipsi, nisi unâ solâ gratiâ, cum qua, si semel sunt conversi, nunquam amplius pervertentur, & homines non nisi tuis abutentur gratiis; oportebit illarum prodigere plurimas pro eis, per quas postquam conversi fuerint, non facient, nisi quòd continuo & absque intermissione se denuò sint perversuri.

Eecur ergò Domine, terribilem adèò rigorem justitiæ tuæ in eos? Itane talem in creaturas tam speciosas? Itane pro unico peccato cogitationis; & peccato, quod non duravit nisi momento unico Angelico, abnuere
ipsis

Angeli con-
demnati, ut
non habeant
partem è fru-
ctibus Crucis.

Mat

Cor
circ
judi
gelo

ipsis voles gratiam, quam in tuis tenes manibus, & ex qua ipsorum dependet aeternitas. Et non voles, ut aliquam habeant partem ex meritis passionis tuae? sed condemnabis ipsos absque misericordia? & ad quid condemnabis ipsos? non solum, ut exulent in aeternum è caelo, & nunquam videant faciem tuam; sed condemnas ipsos, ut ardeant in igne aeterno: *in ignem aeternum, qui paratus est diabolo & angelis ejus.* Itane pro momento hoc inobedientiae, quae tuae restiterunt voluntati, pati in aeternum, in aeternum, in aeternum, in singula momenta ignem inferni? & judicium hoc pronuntiatum est, & haec in eos sententia mandatur actualiter executioni, & mandabitur actualiter in omnem aeternitatem. O judicia Dei, quam estis terribilia! O judicia Dei, quam estis profunda barathra!

Matth. 25.

Consideratio circa terribile judicium Angelorum.

Quid possumus ex hoc deducere, nisi quod Deus admodum luculenter ostendere nobis voluerit odium infinitum, quo prosequitur peccatum, eoque tam severe in nobilissimis suis id puniat creaturis? O homo, parve homuncio terrae, fige oculos tuos, & considera attentè profundam hanc abyssum judiciorum Dei! an tam firmus, tam constans tibi sit animus, quin ex eo concutiaris? an unica tibi sit gut-

ta sanguinis, quae in tuis non congeletur venis? quis es tu respectu Angeli? & si pro unico solo cogitationis peccato is ita acceptus est ab implacabili justitia Dei, quid expectandum erit tibi, qui tam ingenti, scates enormium peccatorum numero? exploratum tibi est probè tuum periculum, vel potius inevitabilis tua perditio in exemplo damnationis aeternae rebellis Angeli.

Sed Jesus Christus ostendens tibi illam, agnoscere te vult magnam misericordiarum suarum in te abundantiam. Quid mereris à teipso, tu, qui minor es Angelo ex natura, magis odio dignus, quam malorum Angelorum pessimus, ob multitudinem & magnitudinem criminum tuorum? & nihilominus, quod abnuit Angelo, concedit tibi, ipsum repellit, & tui misereatur. Quid obstringit ipsum ad hoc? O bonitas infinita! Itane nos sic amas? nec unicam sanguinis tui guttam donare voles, nec pro omnibus, nec pro Angelorum peccantium unico; & illum effundere anhelas totum ac integrum, tum pro omnibus, tum pro quolibet peccatorum hominum. O si forent tam ingrati, ut non amarent te ex toto corde suo, & ex totis viribus animae suae, nonne atrociorum mererentur infernum eo, qui praeparatus est supplicium Angelorum.

Quantò majores favores acceperimus quam Angeli.

lorum rebellium? procul dubio; siquidem, cum majores acceperint favores, magis se culpæ reddent obnoxios, si fuerint ingrati.

Mira ingrati-
tudo homi-
num,

Nihilominus res stupenda, aspiciere insensibilitatem & prodigiosam cœcitatem hominum! pro ipsis omnibus, proprius Dei Filius omnem suum voluit effundere sanguinem, & eorum plurimi astimant ipsum hocci, redigentes semetipsos ad infelicem diabolorum, qui illo privantur, conditionem. Omnes infideles, quorum numerus longè transcendit illum Christianorum, huic accensentur cœtui; & inter fideles, qui magnum hoc beneficium se agnoscere profiterentur, Christianorum amplexi institutum, quantos reperire est, qui illum contemnunt, & ex eo sibi fabricantur majorem suæ condemnationis ansam! siquidem non solum respondendum ipsis erit de peccatis à se commissis, sicut rebellibus Angelis, sed etiam reddenda erit ratio de passione & morte Redemptoris sui, quod Angelis rebellibus non incumbet, utpote nunquam de hoc interrogandis. Quis non fatebitur conditionem ipsorum incomparabiliter fore deteriorem, quam illam diabolorum?

Erit aliquando dies, quo ea, quæ modò nostris absconduntur oculis, manifesta erunt oculis tum omnium Angelorum,

tum omnium simul hominum, JESUS Christus faciet in judicio finali, quod fecit in Cruce sua. ante tribunal JESU Christi, ex quo publicabit & palam enuntiabit sententias, quas pronuntiaverat eòsque clam & in occulto. Ex Cruce ipsius, in qua proprium suum judicium erat affixum, procedent omnes sententiæ in creaturas ab ipso pronuntiandæ: habebit tunc à dextris suis oves, & à sinistris suis hædos; faciet id, quod jam factum est, quando potestatis suæ judicariæ primum exercens actum in Cruce, ex una parte habebat reprobum, & ex altera prædestinatum, & cuilibet suam ordinavit aternitatem, juxta quod meruerat vel usu bono, vel despiciatu Crucis suæ. Parvum hoc erat illius compendium, quod aliquando in sua amplitudine orbis videbit universus.

Aderit tandem illa dies, qua Conditio hominis peccatoris deterior erit in die judicii, quam illa diaboli. comparandum ibi nobis erit, ad percipiendum ex proprio ore JESU Christi, irrevocabile aternitatis nostræ decretum, ubi suam subducere præsentiam, nulli erit liberum. At pono, liberum tibi fore, ut compareas ibi in qualitate, quæ tibi placuerit, quam eligas tibi ipse, an comparere voles velut diabolus? hæc propositio percellit te horrore, efformas illicò signum Crucis, & respondes: custodiat me Deus, homo sum; jus mihi est ad beneficium Redemptionis hominum,

num, in qua diaboli nullam habent, nec habebunt partem. Sed felix fortassis fores, si compares ibi velut diabolus, & non velut homo? siquidem respondendum tibi non foret, nisi de unico solo peccato, nec reddenda tibi ratio de adorando sanguine Salvatoris mundi, si ex Angelorum rebellium esses numero; sed homo cum sis, respondendum tibi erit de peccatis plurimis, & ratio reddenda de inestimabili beneficio Redemptionis, quam impendere Salvator noster voluit nobis. Haud refert, comparere nolo coram Jesu Christo, velut diabolus, quem exclusit a suae passionis beneficio; comparebo ibi velut homo, pro quo mortuus est in Cruce.

Verum reperire est homines diversarum omnino conditionum: ingens est valde numerus infidelium, qui nunquam cognoverunt Jesum Christum, qui ignorarunt, ipsum esse pro se mortuum, quique sui non fuerant illuminati luce Evangelii, & minor numerus fidelium, qui cognoverunt ipsum, qui ipsum adorarunt, quique publice sunt professi, se esse Christianos. Elige e duabus conditionibus illam, quae magis tibi videbitur proficua. An comparere voles coram Jesu Christo velut infidelis, qui non cognovit ipsum? non,

respondes, tam infelix non sum, quod fuerim infidelis: Christianus sum, baptizatus sum, auspicata me sors beavit, ut in sum me adoptaverit filium, ut in sancti Evangelii sui juraverim legem. Sed fortassis melius foret pro te, ut compareres ibi velut infidelis, & non velut Christianus; saltem enim aliquod excusationis praetendere genus posses, nempe ignorantiam tuam, quae quidem tuae non obstat condemnationi, sed tamen tuum imminuere posset supplicium: siquidem scriptum est, quod servus, qui cognovit voluntatem Domini sui, & non fecit secundam voluntatem ejus, vapulabit multis; qui autem non cognovit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis.

Ergo Christianus es, & in hac conditione apparebis coram tribunali Jesu Christi. Tu cognoscis omnes voluntates ejus, & exploratas habes omnes obligationes tuas. O quam magnae sunt illae! edquod, dum Christianus es, Religiosus sis Crucis. Antiquitus omnes Christiani nuncupabantur *Religiosi Crucis*. Inprimis Religiosus es: verum enim est, fecisse te professionem in Baptismo tuo, magnae hujus & unicae verae Religionis, quae est in mundo, habentis pro Institutore suo, & superiore suo generali Jesum Christum ipsum, & professio tua impressa est usque in essen-

Omnes Christiani sunt Religiosi Crucis.

B b b b b tiam

Conditio maiorum Christianorum erit peior in judicio finali, quam illa infidelium.

ho-
cca-
rior
e ju-
am
li.

flus
udi-
,
it in
a.

tiam animæ tuæ, caractere, qui delebitur nunquam. Secundo Religiosus es Crucis: siquidem publicam facis professionem, reddendi te, quantum poteris, conformem Jesu Christo in Crucem suffixo, & hic instituti tui præstitutus est finis.

Horrendum
spectaculum,
videre Chri-
stianum co-
ram iudicio
Dei,

O quid erit aspicere Christianum coram tribunali Jesu Christi! aspiciate Angeli boni & mali, attendite nationes infideles, & considerate. Ecce vobis Christianum, ecce vobis Religiosum, & Religiosum Crucis, qui rationem reddet Jesu Christo de omnibus obligationibus suis. Si fuisset Angelus rebellis, respondendum ipsi non esset nisi de unico solo peccato; si fuisset infidelis, respondendum non foret, nisi de peccatis commissis contra legem naturalem suæ insculptam conscientia, & de infidelitate sua, quæ infeliciter privaverat ipsum suæ beneficio Redemptionis. Sed Christianus est, Religiosus est Crucis, majoribus locupletatus est à Deo favoribus quàm Angeli, plura accepit ab ipso, quàm omnes nationes infideles. Ipse igitur ex omnibus hominibus majores habet, quibus stringatur obligationes: Jam quæstio est, an ritè adimpleverit suæ partes professionis.

Venite, Christiani, venite, Religiosi Crucis, ubi vestra est regula? Ecce vobis illam; san-

ctum ipsa est Evangelium. An probe nôstis illud? omnis enim Religiosus sub pœna peccati mortalis obligatus est suam nôsse regulam. An nôstis vos vestram? an nôstis, quænam sit doctrina, quænam sint præcepta, quænam sint consilia, quænam sint effata & placita, quisnam verus sit Spiritus sancti Evangelii, quod tua est Regula? non, credidi hoc mei muneris non esse, curandum hoc reliqui Pastoribus & Doctoribus Ecclesiæ, quibus incumbit scire hæc omnia; quantum ad me, abundè sat mihi fuit apprimè peritum & præstantem me reddere in speciali meo instituto, artificis, mercatoris, Jurisconsulti, nobilis, cætera illorum curæ duxi relinquenda, quorum interest ea scire & docere alios. Ah! infelix, magis nocens ac reus cunctis dæmonibus, magis sceleratus, magisque perverlus cunctis infidelibus, quibus nulla sancti Evangelii fuerat notitia; lumen cæli habebas ob oculos, & hos aperire non es dignatus, ut aspiceres illud. Quanta abominatio! quanta cæcitas, quòd minimus opifex magnâ contentione studeat expertum se reddere in arte sua, quòdque nihil sit, quàm ingens hoc Christianæ professionis, à qua dependet æternitas, institutum, quod negligatur ita, ut quasi nemo sit, qui præcipuum suum

Quæretur ex
Christiano, an
benè sciverit,
& observa-
verit suam re-
gulam.

Da
fun
tra
nu
ju

S.
fe
to

suum huc conferat studium, ut eximius in hoc & praestans evadat. Verum vos hujus non tangit cura.

Sanctus Augustinus in egregio illo sermone, quem dixit ad ad Catechumenos jamjam dispositos ad amplectendam Religionis Christianae professionem, ob oculos ipsis ponit magnitudinem obligationum suarum, & exactam rationem, quam reddere aliquando debebunt coram tribunali Jesu Christi: *prae*sto erit adversarius diabolus, recitabuntur verba professionis nostrae. Quando ibi eritis, fratres mei, aderit & diabolus, ut sit accusator & adversarius vester; proferentur ibi in medium & recensebuntur palam verba, quae effati estis in professione vestra, quarum virtute obligati eratis conformes vos reddere Jesu Christo crucifixo; & convincemini, fugisse vos potius, quam esse sectatos hanc conformitatem. Accusabit ille vos, quod, cum acceperitis infinitam ratione majores, quam ipse, a Deo favores, vos magis fueritis ingrati; quodque, cum ipse ex iustitia Dei privatus fuerit gratia Redemptionis, vos illam privaveritis vosmetipsos ex iniustitia & iniquitate vestra; quodque ex homine fragili, pro quo mortuus est Jesus Christus, vos reddere volueritis protervum & pertinacem diabolum, pro quo

ipse habere nil voluit misericordiae. Ex quo deducet tandem, aequum non esse, quod, cum ipse damnatus sit, ob unicum duntaxat peccatum, abs eo, quod ullam acceperit unquam gratiam, ut cuius dolere & poenitere poterat, vos damnati non sitis post tanta commissa peccata tantisque profanatas gratias. Quid respondebitis ad hoc?

Hoc totum non erit, quod daemones habeatis obfistentes vobis. Sed omnes infideles nationes, juxta Evangelium, *surgent in judicio cum generatione ista, & condemnabunt eam.* Eheu! quid profuit nobis habuisse jus legitimum ad Redemptionem Salvatoris, velut omnes reliqui homines peccatores, pro quibus effudit sanguinem suum, cum non cognoverimus ipsum? & nihilominus de magno hoc beneficio reddenda nobis est ratio, & in nostra perimus ignorantia. Sed, vos, Christiani, quibus copia & facultas erat possidendi infinitos thesauros passionis Salvatoris vestri; vos, quibus affulgebat lumen fidei, ad ipsum cognoscendum; vos, quibus erat Evangelium, ad demonstrandum vobis obligationes vestras; vos, qui emisistis professionem sequendi & imitandi ipsum; vos adorabatis Deum contemptum, & amabatis vanitates; vos adorabatis Deum pauperem, & au-

Matth. 12.

Nationes infideles surgent in judicio contra Christianos.

B b b b b 2 cupa-

Demones surgent contra Christianum in die judicii.

S. August. in serm. ad Catechum,

100

cupabamini divitias; vos adorabatis Deum afflictum, & infatiabiles inhiabatis voluptatibus; vos obligati eratis vi professionis vestrae, ut essetis Sancti, sicut Iesus exemplar vestrum est Sanctus Sanctorum: *Scriptum enim est: Sancti eritis, quoniam ego sanctus sum*; vos id bene novetis, vos id bene poteratis, & vos id noluitis. In quo discrepatis à nationibus infidelibus, nisi solummodò in nomine? & augustum hoc, quod geritis, Christiani nomen, in vestram est condemnationem. Si nos promerimus infernum, dicent nationes infideles, tu Christiane ingratis, quot promereberis!

Quid dicitis ad hæc fratres mei? Ecce, quòd Passio & Crux Salvatoris mundi malis omninò denegata sit Angelis. Ecce, quòd collata quidem sit, sed ignorata ab infidelibus. Ecce, quòd collata quidem sit & cognita ab omnibus Christianis, sed contempta fuerit & despiciatui habita à plurimis illorum. Et super hos omnes exhibent è Cruce Salvatoris formidanda decreta, quibus ad infelicem condemnabuntur æternitatem. O quàm eorum, quibus largietur ipsa infinitæ felicitatis æternitatem beatam, exiguus in comparatione erit numerus! quinam sunt hi? an poterimus hæc sorte, ut accenseamur illis?

Erunt, qui verè fuerint Reli-

giosi Crucis, qui omnem moverint lapidem, qui omnem impenderint curam, ut suam instituerent vitam ceu veri Religiosi, & non velut mundani; sed velut Religiosi Crucis, qui vi professionis suæ obligatos se agnoscant, ad reddendum se in omnibus conformes, quantum poterunt, Iesu Christo crucifixo. Hi erunt, qui assiduum impenderint studium suæ regulæ, sancto scilicet Evangelio, ad addiscendum ex eo doctrinam salutis, & verum Iesu Christi Spiritum: doctrinam, quam totam in epitomen coactam aspicere poterunt in tribus his verbis. Primum, fugere vanos honores, amare contemptus. Secundum mori amori divitiarum, amare paupertatem. Tertium odisse voluptates, amare afflictiones. Probè nosse sublimem hanc doctrinam, est nôsse bene totum Evangelium; illam exercere in vitâ suâ, est verè esse Christianum, Religiosum Crucis: & pro his solum æternitas erit beata.

Ibit homo in domum æternitatis sua. Eccl. 12. Ite Angeli boni & mali; ite homines prædestinati & reprobi; ite omnes in domum æternitatis vestrae. Ex hac aspicietis omnes Crucem & Passionem Redemptoris. Verùm hoc erit oculis & affectibus plurimum inter se diversis. Ah! cogitate hoc bene. Quàm cogitatio hæc erit utilis salutis vestrae!

CON-

1. Pet. I.

Felicitas bonorum Christianorum in die iudicii.

Th
Ca
co
de

Cogita bene hanc conclusionem de æternitate.